

gentiam, quod observent etiam sub triplici *Domine, non sum dignus*. Postea omnes se erigunt.

1073. Celebrans, hausto diligentius pretioso Sanguine, Calicem palla obteggit et illum, non tamen extra Corporale, ad cornu Evangelii collocat: quo facto, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit et in medio Corporalis sistit ac aperit.

1074. Completa Fratrum Confessione, genuflectit more solito et conversus ad populum aliquantulum ad latus Evangelii, ne SS. Sacramento tergum vertat, dicit *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc., formans Crucem super communicantes more solito.

1075. Postea in medio Altaris reversus, iterum genuflectit, surgit, manu sinistra Pyxidem ad nodum accipit, dexteræ indice et pollice, reliquos digitos tenens iunctos ut de more, Particulam e Pyxide sumit, et super eius os aliquantulum elevat, deinde sine genuflexione ad populum se vertit ac dicit: *Ecce Agnus Dei*, et triplex *Domine, non sum dignus*; quibus dictis, Fratribus in genua erectis sacram Communionem distribuit, incipiens a cornu Epistolae, ubi primum locum inter communicantes tenent Ministri seu inservientes Missae.

1076. Cum qui in prima linea genuflectunt SS. Communionem sumpserint, omnes simul surgunt, retrocedendo in planum descendunt, uno genu flectunt, et elevatis manibus ante pectus per latus Epistolae Chorum petunt. Caeteri vero surgunt, genuflectunt, gradum medium ascendunt, SS. Communionem sumunt et eodem modo in Chorum redeunt, ubi acceptis sandaliis et mantello in genua procumbunt, et gratiarum actionem faciunt.

1077. Hic modus communicandi intra Missam servetur in Ecclesiis nostris tantum ab omnibus, qui, etsi soli seu privatim, SSm̄am sumunt Communionem.

1078. Si etiam populus sit communicandus, Celebrans, recessis Fratribus, per medium Altaris descendit ad cancellum seu mensam Communionis, et incipiens a parte sinistra SS. Communionem distribuit et ad eandem sinistram sine genuflexione ante Altare redit, quoties opus fuerit.

1079. Finita distributione, per eandem viam ad Altare revertitur, genuflectit, Pyxidem cooperit, quin digitos in vasculo apposito abstergat, in Tabernaculo ponit, iterum genuflectit, ostiolum claudit et more solito Missam prosequitur.

§ II. — *De Missa Ministri Generalis et Provincialis in occasione pastoralis Visitationis dicenda.*

1080. Pro Missa die pastoralis Visitationis a Ministro Generali dicenda praeparantur in Sacristia paramenta missalia meliora, superpelliceum pro Sacerdote assistente, cottae pro Ministris, bacile cum urceolo et manutergio pro ablutione manuum ante et post Missam, thuribulum et navicula pro benedictione et Exequiis, insuper Pluviale et Stola nigri coloris ad Absolutiones pro Defunctis.

1081. Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, et in quo Minister Missam celebrabit, solemniter sit ornatum, et super abacum ponetur palmatoria (vulgo bugia) cum candela accensa, vas aquae benedictae cum aspergillo pro Absolutionibus, et hoc Caeremoniale vel

etiam Pontificale Romanum pro precibus et Orationibus, ut in Ordine ad visitandas Parochias. Adsit quoque in latere abaci Crux processionalis.

1082. Calix ante Missam ab Assistente ad Altare portatur et super Corporale more solito adaptatur, et Missale super pulvinar positum aperitur.

1083. Hora debita et omnibus paratis, ad Altare accedunt, iunctis manibus; praecedunt duo Clerici, quos sequitur Assistens, ultimo loco Celebrans. Cum ad Altare venerint, Celebrans caput detegit, et stans cum omnibus in plano ad infimum gradum Altaris in linea recta, cum ipsis genuflectit et Missam incipit.

1084. Peracta Confessione, Celebrans Altare ascendit et Missam more solito prosequitur; Assistens vero palmatoriam ex abaco accipit, quam in manu prope Celebrantem tenet dum iste e libro legit, nisi forte Clericus hoc praestet. Vid. n. 869.

1085. Duo Clerici ea faciunt, quae sunt Ministrantium, id est portabunt librum ab uno cornu ad alterum, ministrabunt ampullas, portabunt Calicem ad Sacristiam post Postcommunionem, etc.

1086. Assistens, dum Celebrans legit e libro, semper manet ad eius latus, folia vertit, monstrat, quae legenda sunt, etc. Ad verba *Quam oblationem* transit ad cornu Epistolae, ibique super superiorem gradum genuflexus, Planetam in elevatione SS. Hostiae aliquantum elevat, et quo tempore surgit, pallam removet a Calice et iterum genuflectit, ac facta a Celebrante genuflexione post elevationem Calicis, denuo surgit et operit Calicem, ac facta genuflexione redit ad librum in cornu Evangelii.

1087. Dicto a Celebrante *Agnus Dei*, Assistens genuflectit et transit in cornu Epistolae, et iterum facta genuflexione surgit, ibique manet stans et profunde inclinatus, dum Celebrans communicat, ac opportuno tempore pallam removet a Calice, factis debitis genuflexionibus.

1088. Cum autem Clerici et Laici infra hanc Missam communicare debeant, dicto a Celebrante tertio *Domine, non sum dignus*, petita de more venia, ordinatim in Presbyterium accedunt a latere Evangelii seseque disponunt in plano, et facta simul genuflexione, insimul pariter se prosternunt. Assistens, vel primus Acolythus dicit *Confiteor*: et peracta a Celebrante Calicis sumptione, Assistens Calicem cooperit et ostiolum Tabernaculi aperit, non tamen Pyxidem extrahit (nisi Celebranti id difficile esset, et tunc solum assumit Stolum coloris currentis, et nedum extrahit, sed et aperit positam super Corporale): factisque simul cum Celebrante debitis genuflexionibus, Patenam cum purificatorio sumit, et Celebrantem comitans ipsam mento singulorum communicantium submittit; et reposita Pyxide in Tabernaculo ostiolum claudit, ac deinde immittit vinum in Calicem pro purificatione, vinum quoque et aquam pro ablutione, ac purificatorium ministrat ad abstergendos digitos.

1089. Facta purificatione, librum pro Postcommunionem signat, ad cornu Evangelii vadit, Calicem more solito cooperit, relinquens Corporale apertum super Altari, et Clerico tradit, ut illum ad Sacristiam portet. Deinde ad latus dexterum Celebrantis vadit, et, dictis Orationibus, librum claudit, nisi legendum sit Evangelium Feriae vel Vigiliae etc.

1090. Sub benedictione super gradus Altaris in cornu Evangelii genuflectit, postea surgit, ad latus sinistrum Celebrantis accedit, illi porrigens ac tenens tabulam Evangelii S. Ioannis, respective vertens folia Missalis. Quo finito ad dexteram Sacerdotis vadit, qui in medium Altaris accedit; deinde ambo Cruci caput inclinant et ad planum Altaris descendunt, ubi Celebrans Manipulum deponit.

1091. Dum Celebrans ultimum dicit Evangelium, Fratres omnes cum cereis accensis Choro egrediuntur bini et bini ex utroque Altaris latere, praecedente Thuriferario cum thuribulo et navicula, ante Altare genuflectunt, et, dicto Evangelio, in gyro ante Altare in genua procumbunt.

1092. Nunc Assistens Stola coloris diei currentis indutus Altare ascendit, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem velatam sub ostiolo ponit, iterum genuflectit et ad planum Altaris descendit. Postea Celebrans peracta inclinatione profunda surgit, incensum ponit in thuribulo absque benedictione, et deinde flexis genibus, SS. Sacramentum triplici ductu incensat. Interim cantatur *Tantum ergo*, et post verba *veneremur cernui* aut finita stropa, simul cum Assistente Stola induto surgit et ad Altare ascendit et genuflectit; deinde Assistens Pyxidem aperit.

1093. Minister reverenter Particulas consecratas scrutatur, Pyxidem, Particulis etiam, si opus sit, in aliam Pyxidem immissis, ab intus et foris inspicit, si sit bene inaurata, munda, si non adsint in ea multa fragmenta Hostiarum, etc. Item inspicit capsulam, in qua asservatur Hostia maior. Similiter observat Tabernaculum,

si sit vacuum ab aliena re, mundum, panno serico albo decenter ornatum, si clavicula ostioli sit ex auro, argento, vel saltem inaurata, etc. etc. (Vide num. 1119 et seq.). Si quae faciendae sint observationes, illas non in Altari faciat, sed, finita functione, in praesentia Sacristae et loci Superioris.

1094. His peractis, immissa capsula in Tabernaculum ab Assistente, posita Pyxide cooperta sub ostiolo, Celebrans purificatis digitis in vasculo praeparato, si Particulas tetigit, facta cum Assistente genuflexione, in planum descendit et denuo SS. Sacramentum incensat, immisso novo incenso in thuribulum, si fumus desiit, et interim cantatur *Genitori Genitoque* etc. Dicto Hymno et pronuntiato ab Assistente et Acolythis *Ÿ. Panem de coelo*, Celebrans surgit et Orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili* etc. dicit.

1095. Post Orationem genuflectit, Velum humerale, quod ipsi ab Assistente imponitur, assumit, surgit, Altare ascendit, genuflectit, manu sinistra Pyxidem ad nodum cum Velo accipit, et dextera cum altera Veli parte illam totam cooperit; deinde ad populum se vertit, et benedictionem impertitur: quo facto, per cornu Evangelii ad medium Altaris redit, Pyxidem super Corporale deponit, ostiolum Tabernaculi ab Assistente, qui interim Altare ascendit, aperitur, et ab illo Pyxis in Tabernaculo collocatur. Tunc Celebrans Velum dimittit, ambo genuflectunt et ostiolum clauditur.

1096. Celebrans hinc vadit ad cornu Epistolae, et super superiorem gradum stans SS. Oleum, et SS. Reliquias, quae ab Assistente ad Altare portantur, visitat: quo facto SS. Oleum et Reliquias illi restituit,

ut ea in locis suis recondat; dein pergit in medium Altaris, caput Cruci inclinat, de Altari descendit, genuflectit et ad latus Epistolae in plano se recipit, ubi depositis Casula et Stola, Stolum et Pluviale nigri coloris induit.

1097. Interim flores, si qui sint, et quidquid festivum sapiat, ab Altari removentur a Sacrista, et, si coemeterium aut locus sepulturae non sit adeundum, in medio Ecclesiae pannus niger cum quatuor candelabris et cereis accensis paratur.

1098. Eodem tempore Religiosi omnes in Presbyterium conveniunt pro processione. Clericus deferens Crucem medius inter Ceroferarios, facie versa ad Altare, stat ad ingressum Presbyterii: reliqui per ordinem, primum Laici, deinde Clerici, demum Sacerdotes, in gyro. Celebrans stans prope Altare in cornu Epistolae, incipit Antiphonam *Si iniquitates* sine cantu, et mox ab omnibus sic stantibus, utroque Choro alternante, dicitur Psalm. *De profundis*: quo expleto et dicta tota Antiphona *Si iniquitates*, dicit: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*, quod secreto completur; et interim, ministrante Assistente sine osculo, accepto aspersione, cum aqua benedicta aspergit ter ante se: et imposito thure in thuribulo cum benedictione, eodem modo incensat. Quo facto, pronuntiat:

Ÿ. *Et ne nos inducas in tentationem:*

R). *Sed libera nos a malo.*

Ÿ. *In memoria aeterna erunt iusti:*

R). *Ab auditione mala non timebunt.*

Ÿ. *A porta inferi:*

R). *Erue Domine animas eorum.*

Ÿ. *Requiem aeternam dona eis Domine:*

R). *Et lux perpetua luceat eis.*

Ÿ. *Domine exaudi orationem meam:*

R). *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS

Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes famulos tuos pontificali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. R). Amen.

1099. Hisce peractis, ordinatur processio. Praecedunt duo Clerici cum aqua benedicta, Rituali seu Caeremoniali hoc, thuribulo et navicula; sequitur Crux inter Ceroferarios cum candelabris accensis, caeteri deinde bini et bini, ultimo loco Celebrans, capite tecto, cum Assistente a sinistris, quin Pluvialis fimbriam sublevet. Canitur interim Responsorium:

Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum, Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae. Ÿ. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.* Tu eis, Domine, etc. Sed Celebrans cum Assistente dicit: Si iniquitates etc., De profundis, totum ut supra; et in fine Ÿ. Requiem aeternam etc., R). Et lux perpetua etc. Et Antiphona repetitur: Si iniquitates etc.*

1100. Si habeatur coemeterium aut locus sepulturae extra Ecclesiam, eo dirigitur processio, alias circuit Ecclesiam, aspergente Celebrante sepulchra, si quae sint, aqua benedicta. Cum vero perventum fuerit ad coemeterium vel locus sepulturae, expleto Psalmo et repetita

integra Antiphona, et non prius, Chorus cantat Responsorium:

*Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: * Quando coeli movendi sunt, et terra: * Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

Ÿ. *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira: * Quando coeli movendi sunt, et terra.*

Ÿ. *Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. * Dum.*

Ÿ. *Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.*

1101. Dum repetitur Responsorium *Libera me, Domine*, Celebrans ponit more solito incensum in thuribulo: expleto Responsorio, canitur *Kyrie eleison*, et Celebrans de more dicit: *Pater noster*, et dum secreto completur, aspergit et incensat ter ante se ut supra, ac deinde dicit Versus ut supra n. 1098 eodem ordine, ac postea:

OREMUS

Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes famulos tuos sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam: ut nostrae congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in

Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. Ÿ. Amen.

Et responso *Amen*, dicit: *Requiem aeternam* etc. et duo Cantores dicunt: *Requiescant in pace* etc. Mox Celebrans producit signum Crucis ab omni parte super coemeterium vel Ecclesiam.

1102. Tum revertuntur ordine quo venerant, vel ad Ecclesiam vel ad Presbyterium, dicendo sine cantu Psalm. *Miserere mei Deus*, et cum pervenerint ad Altare maius ibi sistunt, et expleto Psalmo cum *Requiem aeternam* etc. Celebrans dicit: *Kyrie* etc. *Pater noster*, secreto usque ad

Ÿ. *Et ne nos inducas in tentationem:*

R). *Sed libera nos a malo.*

Ÿ. *A porta inferi* etc.

OREMUS

Absolve, quaesumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum, ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum.

R). *Amen.*

1103. Dicto *Amen* a Choro, omnes sub silentio in Sacristiam redeunt, et Celebrans ac Ministri paramenta et indumenta deponunt.

1104. Si Commissarius Generalis aut Provincialis Missam occasione pastoralis Visitationis celebret, Sacerdos quoque ei assistet vel saltem assistere poterit. Palmatoria autem et bacili non utatur, quia solius Ministri Generalis est, ea uti ex privilegio. Vid. n. 865.

§ III. — *De Missa dicenda die Capituli generalis et provincialis.*

1105. Comitia generalia et provincialia apud Regulares pro electione Superiorum Ordinis et Provinciae, censeantur causa gravis et sufficiens dicendi Missam votivam de Spiritu sancto: ea quippe ad plurium familiarum religiosarum bonum maxime conducunt¹.

1106. Finita ergo Missa conventuali, statim ab ipso Praeside dicta Missa votiva de Spiritu sancto celebretur, cum *Gloria*, *Credo* et unica tantum Oratione, etiamsi festum sit duplex II classis. Dantur incensum et pax.

1107. Nisi obstet festum duplex, aut sit dies, quo Missa votiva privata prohibeatur, omnes Capitulares et Sacerdotes in loco Capituli praesentes, Missam votivam privatam dicant de Spiritu sancto (vide num. 897). Si dies est impedita, dicere possunt, sed non sine expressa licentia Episcopi, Collectam de Spiritu sancto, etiam in festo II classis, ob gravitatem causae. Missa tamen conventualis est de Officio currenti.

§ IV. — *De Missa Neo-Sacerdotis.*

1108. Missa primitiarum neo-Sacerdotis Missis solemnibus annumeratur, ideoque cum incenso celebrari potest, et dari pax. Ecclesia et Altare sint festive ornata.

¹ S. Rit. C. 16 April. 1853, ad dubium 26.

1109. Si haec Missa cantetur, praeter Diaconum et Subdiaconum tolerari potest Sacerdos assistens¹ superpelliceo et Pluviali, sed absque Stola, indutus², cuius praecipua cura erit Missam totam in Sacristia praevidere, signacula suis locis componere, Celebranti demonstrare, quae ex libro legenda vel cantanda, et quae in decursu Sacrificii Missae facienda sunt, ne in prima celebratione perturbatus, errores contra Rubricas committat.

1110. Assistens, cum ad Altare proceditur, a sinistris Celebrantis incedit, et cum Sacerdos ante infimum gradum Altaris facit Confessionem, ipse ad eius dexteram stans respondebit cum Diacono et Subdiacono stantibus a sinistris. Ad eius dexteram, aut respective sinistram prope Missale semper manebit. Si sedendum sit ad *Gloria* et *Credo* aut concionem, Celebrans sedebit medius inter Diaconum et Subdiaconum, Assistens autem in scamno particulari prope Diaconum, si comode fieri potest.

1111. Dum Celebrans adolet Altare, Assistens inde amovet Missale, et post thurificationem illud in loco suo reponit. Ipse primus post Celebrantem in hac Missa incensatur; pax illi datur a Celebrante, et dat ipse Diacono et hic Subdiacono, reditque ad Missale.

1112. Si vero Missa Neomystae non cantatur, aut cantatur sine Diacono et Subdiacono, duo Sacerdotes in cottis sine Stolis Celebranti a dextris et a sinistris assistunt eumque adiuvant, quin unquam locum mutant

¹ S. Rit. C. 19 Iunii 1604, in Mantuana; et 17 Iunii 1843, in Lucen. et 30 Iun. 1883.

² S. Rit. C. 12 Martii 1837, in una Mathelicen., ad 2.

seu a latere ad latus Altaris vadant. Tunc Thuriferarius sub thurificatione Missale ab Altari amovet; Celebrans autem incensatur a primo Assistente.

III3. Si neo-Sacerdos sacram administret Communionem, nemini permittatur ipsius osculari manum.

III4. Missas votivas, quae ei ab Episcopo iniunctae fuerunt in actu Ordinationis, scilicet de Spiritu sancto, de S. Maria et pro Defunctis, non potest dicere, nisi diebus quibus Missae votivae privatae permittuntur ¹.

III5. Nonnullis in locis seu regionibus, ante Missam novellam cantari solet Hymnus *Veni Creator* cum respectivis Versiculis et Oratione, et post Missam *Te Deum* similiter cum respectivis Versiculis et Oratione. Ubi talis mos viget, observari potest etiam a Nostratibus ².

¹ S. Rit. C. 11 April. 1840, in Barchinonen., ad 5.

² Paulus Pp. V Bulla diei 23 Maii 1606, quae incipit *Romanus Pontifex*, tum Neo-Sacerdoti, tum Religiosis confessis et communicatis, qui primitiarum Sacrificio intersunt, plenarias concessit Indulgentias. Leo Pp. XIII Indulgentias plenarias etiam ad Celebrantis consanguineos ad tertium usque gradum inclusive extendit, qui, servatis servandis, primo eidem Sacrificio interfuerint; caeteris vero Christifidelibus adstantibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum concessit (S. Rit. C., ex Audientia Sanctissimi 18 Decemb. 1885).

PARS QUARTA

De cultu SS. Eucharistiae.

CAPUT I.

DE ASSERVATIONE SS. EUCHARISTIAE.

III6. SS^{ma} Eucharistia perpetuo asservari debet in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, parochialibus et quasi-parochialibus, et in Ecclesiis Regularium, tum viro- rum, tum monialium ¹. In aliis vero Ecclesiis, Sacellis et Oratoriis, sive publicis sive privatis, asservari non potest absque speciali Indulto Sedis Apostolicae ².

III7. In Ecclesiis, ubi SS. Sacramentum Eucharistiae asservatur, quantum possibile, quotidie Missa est celebranda ³.

III8. SS^{ma} Eucharistia in uno tantum Ecclesiae Altari ⁴ servari debet in Tabernaculo clave obserato et Pyxide bene clausa. Coram Tabernaculo lampas semper ardeat. De his in sequentibus.

¹ S. Rit. C. 25 Martii 1593, in una Bavariae.

² S. Rit. C. 14 Iunii 1646.

³ S. Rit. C. 16 Martii 1833.

⁴ S. Rit. C. 16 Martii 1861, in una S. Iacobi de Chile, ad 13.